

Bibliothèque numérique

medic@

Jousseaume, Jean-Jacques-Joseph. -
De hydrocele per injectionem
curanda. Theses
anatomico-chirurgicae. Quas præsides
M. Tussano Bordenave...tueri
conabitur Joannes-Jacobus-Josephus
Jousseaume...

1771.

Parisiis : Typis P. Al. Le Prieur
Cote : 91007 t. 3 n. 9

44
DE HYDROCELE
PER INJECTIONEM CURANDA,
THESES
ANATOMICO - CHIRURGICÆ.

Quas, DEO JUVANTE & Præsîde M. TUSSANO
BORDENAVE, Artium & Chirurgiæ Magistro,
Scholarum Præposito, Professore Regio, Regiæ Chi-
rurgiæ Academiæ pro commercio extraneo Secretario,
Scientiarum Academiæ Rhotomagensis, nec non Flo-
rentinæ Socio, tueri conabitur, JOANNES-JACOBUS-
JOSEPHUS JOUSSEAUME, Aginnensis, in almâ Uni-
versitate Parisiensi Artium Liberalium Magister.

P A R I S I I S,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,


*Die Sabbati decimâ quartâ Septembris, à sesqui-Secundâ post meridiem ad
septimam A. R. S. H. 1771.*

PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA.



Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii
Typographi.

M. DCC. LXXI.





D. O. M.
DE
HYDROCELE
PER INJECTIONEM CURANDA.
THESES
ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

DUM in corpore sano ritè perficitur humorum circuitus, fluida, quorum quantitas longè major est mole solidorum, non solum per vasa continua motum absolvunt, verum ex naturæ legibus & materiam secretionum in variis organis ad has dicatis deponunt, & in totâ corporis superficie tum externâ tum internâ liquorem perspirabilem exhalant. Corpus externè perspirat; perspirant quoque partes internæ
A

cum aëre communicantes, ut os, œsophagus, ventriculus, intestina, pulmones, quæ dum materiam exhalatam foras emittunt, novam materiam ex aëre iterum inhalant; perspirant etiam cavitates quælibet internæ humore proprio semper madidæ, ut textus cellularis locelli, superficies interna duræ Menyngis, Pleuræ, Pericardii, Peritonæi, Peritæstis, &c. materiam eandem exhalatam modò aliis vasis inhalaturæ. Hinc tanquam certissimum & verissimum haberi potest illud divini senis oraculum, *quod expirans & inspirans totum corpus* (a). Si mutato ordine fluidum exhalatum proportionem debitam non resorbeatur, mox oritur vitiosa congeries, quantitate primò, dein quandoque depravatione noxia; hoc probant Hydrocephalum, Hydrops thoracis, abdominis, scroti, &c. De hoc ultimo differturi, membranarum testiculos involventium structuram exponemus.

§. I.

TESTICULORUM integumenta seu involucria vulgò scroti, aut etiam marsupii seu bursæ virilis generali nomine designantur; at anatomice explorata amplitudine, dispositione, structurâ inter se differunt & distinguuntur in communia & propria.

INVOLUCRA communia utrumque testiculum regunt & duo numerantur. Primum & exterius Scrotum seu bursa dicitur; cute hîc tenuiori, rugosâ, & inæquali, venis frequentioribus perfusâ, adipe frequentius orbatâ (b), glandulis sebaceis, bulbisque pilorum hinc & hinc intertextâ efformatur; lineâ inæquali, leviter prominente, futuræ instar & ideo *raphe* dictâ, ab ipso-met penis involucri ortâ, ad anum usque extensâ, dividitur in medio, sicque partem dextram & sinistram distinctam offert.

ALTERUM involucrium commune *Dartos* nuncupatur; tenuiori telâ cellulari, humore aquoso tantum madidâ cum

(a) Hippocrates Epidem. Libr. 6, sect. 6.

(b) Præsentiam pinguedinis in scroto inter rara habet Graafius, *Libro de virorum organis*, ipsam verò minus raram arbitratur Rhuyfchius, & asserit se illam quandoque reperiisse in obesis in parte superiori scroti, minime verò in inferiori. *Epistola problemat. Ia.*

scroto internè conjungitur; panniculo carnofo, laxo & rariori, arteriis venisque plurimis referto constat, indeque musculus cutaneus videtur; sed hunc pro textu cellulari crassiori tantum habet Clar. Hallerus (a). Dispositione suâ peculiari unicuique testi seorsim circumponitur, unde conjunctione septum nascitur, supernè sæpius imperfectum; textu cellulari internè regitur. Expansione aponevroticâ seu potiùs ligamentosâ ramo ossis pubis inter musculum tricipitem & corpus cavernosum, usque ad ejus symphysin adheret, ad inguen cum textu cellulari lateraliter extenditur, parteque mediâ urethræ inferiùs connectitur. Hoc involucri agente contrahitur scrotum corrugaturque, præsertim in statu sano, aëre frigidiori, aquâ frigida, actu venereo, vel etiam causis quibusdam aliis irritantibus.

TUNICÆ propriæ testiculum utrumque speciatim regunt, & tres distinguuntur. Prima vulgò vaginalis audit, attamen huic membranæ externè & lateraliter adnascitur expansio musculosa, laxior, musculi cremasteris soboles qui à fibris musculi obliqui minoris & etiam transversi originem ducit; tunica vaginali tam firmiter adheret, ut dum ad testiculum accedit, fibræ constituentes ab invicem discedant, testiculoque membranam circumponere videantur, quæ in quibusdam hominibus conspicua & rubra, *Erythroides* id circò à Græcis denominata fuit; prima ratione sitûs melius dici potest; tanquam involucri peculiare habetur, licet totam testiculi superficiem non tegat; hinc Celeb. Winslowio (b), musculus tunicæ vaginalis potiùs judicatur, quàm tunica peculiaris. Testiculum regere, eumque præsertim sustinere in actu venereo ne nimium descendat, vasaque spermatica elongationem patiantur, inter ipsius usus facillè patet.

SUB membranâ erythroideâ occurrit statim tunica vaginalis, sic dicta, quia, vaginæ ad instar, funiculum spermaticum, totum testem & epididymidem ambit; constat cellulis membranaceis, laxioribus, ab ipsomet textu peritonæi oriundis; per foramen musculi obliqui majoris procedit; inferiùs cum scroto textu cellulari densiori fortius connectitur. Si structura tunicæ vaginalis anatomicè perlus-

(a) Primæ Linæ Physiolog. n°. DCCLXXIV.

(b) *Exposit. Anatom. Traité du Bas-ventre*, n°. 522.

4

tritur in eâ parte quæ testiculum involvit, jam facta densior, sacculi in modum conformata testiculum continet, ibique vasis testiculi & ipsimet epididymidi fortiter adhæret, unde à quibusdam peritestes, ab aliis verò tunica vaginalis testiculi designatur; interius lævigata, humore seroso, mader.

TERTIA membranarum testiculi propria, *Albuginea* à colore dicitur; dura, crassa, valida, exterius etiam lævigata & humore aqueo perfusa, testis substantiam immediatè tegit, ipsiusque figuram efformat; internè inæqualis, varias emittit productiones membranaceas tenuiores, quæ substantiam testis penetrant, totidemque dant cancellos vasis exilioribus quibus constat, sustinendis & firmandis aptos; epididymidem etiam tegit. In elatiore hujus tunicæ parte arteria, vena, nervi, nec non vasa lymphatica ipsi adnascuntur, hanc perforant, & in testis substantiam distribuuntur; conjunctum etiam habet in extremis fortius quàm in medio utrumque epididymidis extremum.

INTER utramque membranam perpetuò stillans humor serosus, lubricando testiculo inservit, ipsum ab adhæsione defendit, & vasis inhalantibus perpetuò etiam resorbetur; si majori quantitate exhalet vel debitâ quantitate non resorbeatur, eo collecto, Hydrocele tunicata, seu peritestis Hydrops nascitur.

§. I I.

PRÆSENTIAM humoris serosi inter varias testiculorum membranas quâlibet de causâ congesti, mutuato à græcis vocabulo, Hydroceles, seu, ut Celsus exponit (a), herniæ aquosæ nomine generali designaverunt Authores. Tumor sic efformatus, ovi, pugni, imò majorem quandoque amplitudinem superat; ferè semper non nisi alterutrum latus, rarò utrumque occupat, quod tamen quandoque contingit (b).

Non una semper hujus noxii humoris solet esse sedes;

(a) Libr. 7, cap. 21, n°. 2.

(b) Heister. Instit. Chir. Part. 2, sect. 5, cap. CXXII, de Hydrocele.

hinc apud veteres , pro ut humor in hoc vel illo loco colligitur , variæ hujus ce morbi distinguebantur species , quæ ad tumorem per infiltrationem , vel per effusionem , referebantur. Si humor consistat sub ipsâ cute scroti , vel inter dartos & musculum cremasterem , vel hunc inter & tunicam vaginalem , aut intrâ textum tunicæ vaginalis , tunc quia intrâ cellulas tantum colligitur , Hydrocele per infiltrationem dicitur , Hydrops scroti etiam nuncupatur ; sed tunc propriè œdema dicendus. Non item , si serum majori quantitate effusum intrâ peritestem & albugineam membranam coacervetur , collectus humor membranas distendit , & veram parit Hydrocelem (a) , quæ etiam simplex esse potest , vel complicata.

HYDROCELEM quandoque offerre videtur humor in peritonæi processu suprâ testiculum post herniam reductam collectus (b) ; æmulatur etiam sæpius , si disruptis cellulis aqua amplam cavitatem sibi efformet (c). Hi morbi pro Hydrocele verâ non sunt habendi.

DISCREPAT etiam morbus , si loco feri humor sanguinolentus aut ipse-met sanguis intrâ peristestis cavum effundatur , tunc hæmatocele seu hernia sanguinea dicitur , sed hi morbi attentè distinguendi , si quidem tunc non eadem competit curatio. De his-ce variis Hydroceles speciebus non differemus , de eâ quæ inter albugineam tunicam & peritestem sita est , tantum acturi

HYDROCELES causæ internæ aut externæ distinguuntur. Internæ à rupturâ , relaxatione , aut irritatione vasorum exhalantium quibus major liquidi quantitas secernitur , vel à vitio vasorum resorbentium quæ fluidum noxium inhalare non possunt , repetendæ. Hanc morbosam dispositionem ictus , lapsus , contusiones , compressiones , testis aut epididymidis schirri , aliæ-ve quælibet causæ externæ sæpius inducere valent. Licet ulli hominis ætati proprius

(a) Hanc solam Hydroceles speciem admittit Sharp. *Recherches sur l'état présent de la Chirurgie*, chap. de l'Hydrocele.

(b) Le Dran , *Observ.* Tom. 2 , p. 155. Garengot , *Operat.* Tom. 1 , p. 445. Et Heisterus loco citato

(c) *Academ. Reg. Chir. Commentar.* Tom. 3. Diss. Clar. Bertrandi.

fit ille morbus, si quidem adulti, & infantes ipso quandoque afficiuntur, frequentior tamen observatur senioribus vel iis qui majorem testiculi compressionem aut contusionem passi fuerunt.

UT morbi natura innotescat, non omittenda signa commemorativa; ipsis enim dum mali causa indicatur, ejusdem species mox facile elucescit.

HYDROCELES spuriae à verâ seu tunicatâ diagnosi non ardua. 1°. In Hydrope scroti seu œdemate, tumor minùs resistit; impressio digiti foveolam facit mox in statu restituentam; cutis tensa est & pellucida; penis etiam simul quandoque insigniter tumet, aquoso humore turgidus; eadem ferè observantur, vel partim tantùm in Hydrope tunicae vaginalis. Contrà in Hydrocele verâ, penis parvus, constrictus & quasi retrorsum ductus; cutis plus minus-ve rugosa pro mole fluidi distendentis; venae cutaneae tument & inflantur, imò varicosae fiunt pro tempore morbi; adest tumor circumscriptus, saepius ovalis, quandoque oblongatus, fluctuans, aequalis, tensus, plus minus-ve tamen pro quantitate fluidi renitens; ad majorem molem extensus, annulum musculi obliqui majoris quandoque distendit; fugit ferè fluctuatio, quae tensione elasticâ tunc tantùm manifestatur; tactu non percipitur testis qui intumescente Hydrocele ad verticem sacci supernè & lateraliter inhæret; pelluciditas tumoris per lucem in parte oppositâ directam non semper apparet, ideoque inter signa minùs certa habeatur. 2°. Enterocoele completa & epiplocele Hydrocelem quandoque simulare possunt: tunc tumor inæqualis, durus, absque fluctuatione, testis in parte laterali tumoris tactu persentitur. In Hydrocele verò tumor aequalis, plus minus-ve renitens, testiculusque sero innatans tactu nec visu percipitur. 3°. Sarcocoeles tumor durus, inæqualis, morbo cuilibet testis semper succedit; ut plurimum minor, in altiori scroti parte, seu in ipso-met testiculo incipit; contrà in Hydrocele tumor renitens, aequalis, fluctuans, in inferiori scroti parte sedem habet præcipuam, nisi ad majorem molem accreverit.

IN Hydro-sarcocoele difficilior diagnosi; utriusque morbi

7

mixta adsunt signa ; his - ce comparatis iudicium instituitur.

SER I loco humor limphaticus , sanguinolentus , aut alterius coloris quandoque congeritur , & tamen adsunt legitimæ Hydroceles indicia ; tunc falli potest Chirurgus , at non artis vitio , sed potius naturæ morbi error , si qui sit , tribuendus.

MOLESTA magis quàm periculosa haberi potest Hydrocele simplex & vera ; nihil ferè doloris percipit æger , pondere & mole tumoris tantum afficitur ; indeque si ad majorem amplitudinis gradum pervenerit tumor , difficulter incedere , equitare , vel etiam actus ad generationem necessarios edere valet. Hunc morbum diutius absque periculo servari quotidiana probat experientia : metuendum tamen ne malo fenescente , si testis aliquo forsan vitio infestetur , ipsius massa cum aquâ seu sero confundatur. Testis enim , licet initio morbi incolumis , perpetuâ maceratione quandoque resolvitur , ulcere afficitur , ruptâ tunicâ propriâ vasa lacerantur , sanguis cum aquâ miscetur , sicque complicatus oritur morbus. Hydrocele complicata difficilè curatur , imò sæpius tanquam insanabilis , nisi per sectionem didymi haberi potest ; recens facilius curationem admittit quàm vetusta ; denique in junioribus facilius quàm in senioribus perfectè sanatur.

AD curationem perfectam Hydroceles , duplex in primis scopus est attingendus. 1°. Nempè ut humor noxius educatur. 2°. Ut caveatur ne quid humoris præter naturam denuò ibi confluat. Ad hunc finem pro variâ Hydroceles specie , tempore , gradu , varia opponitur curandi ratio ; hinc medicamenta quandoque sufficiunt , vel efficacior Medicina ab operationibus Chirurgicis repetenda.

IN recens natis & junioribus , in iis etiam quibus est pro causâ morbi laxitas vasorum , præsertim si simul adsit Hydrops scroti , medicamenta roborantia externè adhibita curationem quandoque feliciter adimplent , resoluti humore noxio ; his adjungi possunt medicamenta interna aperientia & alvum moventia. In his - ce tantum circumstantiis aliquid

sperare fas est ; nihil proficeret in senioribus & in morbis inveteratis talis Medicina, & tanquam inutilis meritò haberetur.

QUÆ per operationem obtinetur Hydroceles curatio, palliativa est, vel radicalis. In prima humoris noxii evacuatio tantum intenditur ; ideò scalpello acutiori seu lanceolâ scrotum incidebant antiquiores Chirurgi, emissâque aquâ vulnus modò glutinabant. Methodo simpliciori scrotum aperiunt recentiores : ægro recto stante, vel sedente, vel etiam resupino jacente, compresso superius scroto, ut aqua versùs inferiora tendat & sic testis recedat, determinatoque punctiōis loco acus triquetra in imâ scroti parte extrorsum versùs immittitur ad cavum usque penetrando ; acu extractâ, per tubulum effluit humor congestus ; totus evacuat ; remotoque postea tubulo, scrotum spleniis aquâ calcis & spiritu vini, quem aquam vitæ dicunt, seu aliis quibuslibet liquidis corroborantibus madidis involvitur, fasciâque suspensoriâ continetur. Hac operatione ponderis sensus mox fugit, melius modò se habet æger, muniisque adimplendis fit idoneus. Brevi equidem temporis spatio novus iterum colligitur humor, unde bis, ter, vel quater unoquoque anno iterari debet punctiō ; tardior deinde fit humoris congestiō, imminuitur etiam ita ut minùs incommodi inde sequatur ; imò post aliquot punctiōes iteratas curationem perfectam adfuisse cum Authoribus celeberrimis testari possumus (a). Non mirum ergo si hæc curatio palliativa præ cæteris huc usque tentata fuerit.

HUMORIS noxii reditum absolutè præcavere, arduum, difficile, imò periculosum non immeritò huc usque visum est. Ad hanc curationem commendabantur ferrum, causticum, & feraceum, quæ singula licet non semper æquè præstent, alterum tamen alteri quandoque jure ac meritò præferri potest ; cum his propositæ fuerunt methodus Marini, seu Rhuyschii, & testiculi sectiō. 1°. Quando aqua in amplâ & unicâ cavitare continetur, incisio tumoris, ope scalpelli, juxta longitudinem laudabatur ; humore emissò, carpto linteo adimpletur vulnus, dein medicamento dige-

(a) Fabricius ab Aquapendente, Sharp, Heisterus, Loc. cit.

rente excitatur suppuratio. Si duriores apparent membranæ internæ, hinc & hinc scarificantur, aut medicamento quolibet leviter rodente applicato irritantur & ad suppurationem provocantur; denique si distensæ membranæ ad amplam superficiem excreverint, ut noxiæ & inutiles partim rescindebantur. Hæc Chirurgia, periculi minimè expers, non sine successu tentabatur. 2°. Scalpelli loco, caustica à quibusdam applicabantur, appposito priùs emplastro juxta longitudinem aperto; at minorem hujus-ce methodi utilitatem arguere non difficile. 3°. Curationem per setaceum à parte supremâ & laterali scroti deorsum versum infimam partem trajectum, tentandam proposuerunt non nulli (a), sed si fortè in totâ superficie non suppurantur membranæ internæ sacci, morbus iterum partim renascitur, curatioque imperfecta adest. 4°. Juxta methodum Rhuyschii (b), aperto scroto in parte superiori ad latus, vulnus turundâ oblongâ, unguento rosaceo mercurio præcipitato rubro permixto inunctâ oppletur, donec lenis inflammatio, eique succedens suppuratio membranas stillantes putrefecerit, eaque dein volsellâ possint educi. Eandem ferè curandi rationem proposuit Marinus (c). Cum aliis comparata, incisione minùs certa videbitur hæc curatio. 5°. Denique vincturam peritonæi processûs & testiculi amputationem, hoc sano existente, proponere non timuerunt operatores circum foranei; abjicienda hæc methodus crudelis & noxiâ; objurgandi tales operatores, & autoritate publicâ prosequendi.

UNA licet ex operationibus allegatis obtineri possit perfecta Hydroceles curatio, plurima tamen sequuntur incommoda; æger doloribus afficitur, difficilè etiam quandoque, nec sine periculo sanatur: his rationum momentis curatione palliativâ per punctiorem frequentius tantum utebatur. Methodo tamen simpliciore, tutiori, accidentiumque ferè experti perfectum curationis scopum attigerunt, & obtinuerunt

(a) Heisterus Loc. cit. n°. IX. In Hydrocele tunica vaginalis funiculi spermatici, quæ cellulosa est ut plurimum, setaceum optimè cessisse non semel observavit Clar. Bertrandi. Dissert. jam laud. *Mém. de l'Acad. de Chirurgie*, Tom. 3, p. 105.

(b) Advers. Anatom. Decad. 2, p. 22.

(c) Annotante Heistero Loc. cit. n°. X. In Hydrocele tunica vaginalis hanc methodum sufficere, & etiam præstare arbitratur Clar. Bertrandi. Dissert. laud.

Chirurgi recentiores , injectionibus idoneis in Hydroceles cavum immixtis.

UNO vel altero grano lapidis caustici vulgaris , gallicè *Pierre à cautère* , in aquæ communis sufficienti quantitate soluti , injectionem tentaverunt qui id remedii genus primi experti sunt ; sed hæc non successit absque dolore , inflammatione & periculo : hinc mitiori injectione rem esse denuò tentandam non immeritò censuerunt alii , & feliciter pluries experti sunt. Ut hæc methodo curatio obtineatur , punctio loco indicato & cum cautelis requisitis instituenda ; evacuandus per tubulum humor contentus , evacuatoque humore injicitur per eundem tubulum vinum rubrum simplex , quo superficies interna cavi iterùm atque iterùm abluitur , obturato tubulo ; dein uno vel altero minuto elapso , vinum & quidquid humoris superest , evacuat , & applicatur suprâ scrotum cataplasma astringens ex micâ panis , floribus sambuci & rosarum rubrarum in vino coctis paratum & fasciâ suspensoriâ contentum. Ægrum recubare decet , & primo vel altero die potu tenui , parvâque alimentorum copiâ uti ; sic sæpiùs levis tantùm in parte sequitur dolor , levior oritur inflammatio , quâ vasa hiantia constringuntur , parietes sacci contrahuntur , cum teste etiam adhærent , sicque novus iterùm non coacervatur humor. Vinum spiritui vini anteponendum , ut potè minùs astringens aut irritans. Si fortè oriatur febris , dolor urgeat acutior , major inflammatio premat , tunc sanguinis missio , pro accidentibus plus minus-ve celebranda ; cataplasma anodynum aut emolliens applicandum ; sicque modò fugiunt accidentia , morbusque perfectè curatus evanescit. Hæc sano existente testiculo , tantùm tentanda.

HANC curationem simpliciotem , mitiorem , & tutiorem aliis anteponendam facilè concludet æquus quilibet rerum æstimator ; hanc feliciter pluries experti sunt viri Academici & cum Academiâ communicaverunt. Hanc indicare hic sufficiat ; plura dicere vetant dissertationis limites ; plura edocebunt variæ & eruditæ ipsorum observationes publici juris faciendæ.

FINIS.